

excisurum. His ab Hibraymbejo expositis, Senatusconsulto Patres respondere: *Nihil, quod ad tutanda maria pertineat, a Venetis prætermitti; quotannis ingentem auri vim absumi; triremibus, ac biremibus lustrari maria; prædones pugnantibus occidi, captos supremo supplicio plecti. Ceterum mirum non esse, si genus hominum agreste, dispersum, ferarum potius, quam hominum vitam agens, nonnunquam improvise veluti e latibulis sese proripiat, atque pugnantium vires subterfugiat. Maria negotiatoribus tuta esse, Reipublicæ non minus, quam Selymi interesse; si quis diligentia, ac virtutis stimulus addi possit, ut intentiore studio in id præfecti, ac milites incumbant, Senatum curaturum*. Tum, ut moris est, egregie donatus Hibraymbejus discessit.

1566
Senatus res-
ponsum.

Dum Pannoniæ Turcarum armis petita varie bellorum fluctibus jactarentur, nova incendii femina in Belgio exoriebatur, in ingens, atque atrox bellum tandem eruptura. Ejus namque mali, quo Gallia correpta fuerat, veluti contagione tacta, in easdem paulisper tragœdias collabebatur; a populis libertatem in solutam licentiam verti; prisca religionis instituta contemni; nova induci; finitimorum exemplo, qui a Galliæ Regibus liberam vivendi rationem extorserant, incendi: ut jam prope seditiones delitescerent erumperent. Inde ea bella exorta, quibus per duos ac quadraginta annos vario eventu provincia totius Europæ pulcherrima, rerumque omnium copia affluens, vexata, atque afflicta fuit. Hujusce rei initia, ac progressus, quamvis aliena ab ea, quam Venetarum rerum conscribimus, historia forte videri possint; attamen cum inde multa acciderint, quæ omnes Europæ Principes, atque Venetos quoque attigere; brevibus perstringere haud ab re fore existimavimus. Atque ut paulo altius exordiar, inter eos, qui ex Austriaca familia ad imperatoriam dignitatem sunt evecti, satis constat, Federicum tertium, præter ceteros, illius dignitatem non minus virtutis ope, quam fortunæ incrementis auxisse; cum fratrum obitu, atque Uladislai Hungariæ Regis excessu, inter plures dispersitæ provinciæ coalescere, atque ab unius imperio pendere cœpissent. Federico Maximilianus filius successit, qui, Tyrolensi, Sigismundo comite defuncto, reliquis ditone adjecta; Mariaque, Caroli Burgundionum Du-

Belgici belli
initia.